Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

querceti: ipse istorum visus obcecat. ut nos videant et non agnoscant. Talibus indictis tendens ad sydera palmas: cum socio xpm poscebat valde precando. Illi eos videntes stantes et orantes non homines sed arbores eos opinantes frustrati desiderio et confusi sunt. Cumque ductor inquireret quare non ad locum insinuatum pergerent. ubi profecto eum invenirent. dixerunt. Pervenimus equidem sed ibi nichil preter duas arbores invenimus. Intelligens autem vir ille non arbores sed homines fuisse. et celesti proteccione gubernatos esse: ascendit in montem. invenitque eos stantes et orantes Procidens at ad pedes beati gregorii se errasse. se peccasse propria voce fatebatur. sed ut ei dominus indulgeret eius oracionibus instancius flagitabat. Cumque illum vir domini de xpi misericordia confidere commonet. credidit deo. et qui olim fuerat persecutor. factus est xpi cultor. eiusque famuli adiutor. Persecutores autem tocius provincie ablata spe sanctum virum inveniendi. in reliquos xpi ministros rabiem sue ferocitatis immittunt cruciantes eos et mille modis neci tradentes. Beatus vero gregorius repletus spiritu sancto cuncta providens. et quasi corporaliter cum pacientibus paciens. ut quidam moyses ille scissimus non desinebat die noctuque pro statu sancte ecclesie dominum flagitare dicens. O domine deus plasmator hominum magne pastor bone et rector. salva populum tuum quem ad agnicionem tue fidei vocare dignatus es: et quos tibi etiam placet ad gloriam tui nominis per palmam martirii vocare conforta ad paciendum. quos vero in sancta tua ecclesia relinquere placet tibi confirma et corrobora in fundamento sancte et gloriose fidei tue. ne quando dicant ge

Factum est tres u est deus eorum. autem dum quadam die pro persecucione ecclesie curreret cepit anxiari. et qui in spectaculo positus aurem accommodare ad audiendum. et sollicitus preparari ad respondendum. Deinde post paululum ad se reversus leta facie hilarique vultu clara voce dominum glorificare cepit: et davitica verba cantare dicens. Benedictus dominus qui non dedit nos in capcionem dentibus eorum qui nos oderunt. Cumque interrogaretur quid hoc esset vel unde tristaretur et letaretur ait. Dicam equidem et gloriam victorie ihesu xpi domini nostri non silebo. Vidi enim hac hora iuvenem nomine trondium ante tyrannum ductum. et diversis tormentis constrictum ut xpi fidem negaret: sed adiuvante gracia xpi calcavit ac derisit eum. tandemque coronatus per martyrii palmam ad celorum gaudia gloriosus migravit. Audiens hec diaconus eius scilicet sacerdos frater eius. obstupuit. nec fidem dictis dare volebat. Unde virum dei suadebat ut eum sineret illuc proficisci ubi ista pacta fuerant. et rei omnem discernere veritatem. Quem dei pontifex prohibebat. et aliam omnibus viam obstrusam affirmabat. Cui tamen dixit nulla me adversitas conturbare potest. si tuis sanctis precibus armatus incedo. tandemque oracione facta commendavit eum domino et abire permisit. Vespere autem facto urbem ingressus est: qui fatigacionem itineris recuperare volens ad balneum perrexit. Hoc enim balneum demon pessimus possidebat: et quicumque post solis occasum illuc ingrediebatur suffocabatur a demone. Cumque in eum vellet introire prohibuit custos balnei. et causam liquidius intimavit. plurimosque illic necatos esse